

nem vitam renuntiassent; inde in omnem vitam unguento abstinuisse, quoniam optimus odor in corpore, est nullus: Inde vino stomachum caruisse, inde in omnem vitam valneum fugisse. De coquere corpus, atque exinanire sudoribus; inutile simul delicatissime credidisse.

30 Platonis quoque elegans alia circumfertur epistola (t), ad propinquos Dionysii Sicilia Tyranni, qua Syracusarum mensarum luxuriam, & lautitiam, quæ à multis beata ferebatur, nullo modo sibi placuisse inquit: *Nec bis quem in die faturum fieri.* Qui & pro miraculo suis Græcis hoc annuntiavit, ut ex Plutarcho Loricibus (u) scribit, & aliis relatis Franciscus Patricius (x), & Camerarius (y), pluribus simul ostendentes, nullam voraginem, nullum barathrum esse, quod magis absorbeat, magis præcipitet rem, quam gula, quæ quod melius prandet, melius cenare studet: nullasque divitias jam amplas, nullam supellectilem tam præclaram, nullas opes tan magnas, quæ parvo tempore in ventrem non demergantur.

31 Quo circa videre debent Principes, illique cum primis, qui Christo nomen dederunt, quanta cura & diligentia hac in parte debeant sobrietatem, & modestiam amplecti, quæ sibi, vel ab Ethnicis, tantopere commendatur, & firmiori Syracidis testimonio (z), quo inquit: *Væ tibi terra cujus Rex puer est, & cujus Principes mane comedunt. Beata terra cujus Rex nobilis est, & cujus Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.*

32 Quem locum in vim legis successoribus suis reliquit Rex noster Alfonsus X. sic inquit (a) *En tiempo conveniente debe el Rey comer, & beber, cada que lo pudiese facer, asi que non sea temprano, nin tarde. E otrosi, que non coma si non quando oviese sabor, & de tales cosas, quel tengan recto, & sano, & non embarguen el entendimiento. E esto, que ge lo den bien adubado, & apuestamente: ca segun dixeron los Sabios, el comer fue puesto para vevir, & non el vevir para comer. E aun dixeron, que una de las noblezas que el Rey debe haber en si, es, de governarse bien, & apuestamente, & á su pro. E esto dixo el Rey Salomon: Bienaventurada es la tierra que ha noble Rei por Señor, & los Mayorales della comen en las sazones que deben, mas por mantenimiento de sus cuerpos, que por otra soberania. E de los que contra esto facen, dixo: Ai de la tierra de que el Rey es niño, & los Mayorales della comen de mañana. E semejanza de niño puso, porque los niños mas codician comer, que otra cosa, &c.*

33 Cui legi simile est monitum, quod & ante ipsam Rex Castellæ Sanctius Crasus filio suo dedisse legitur, in quodam libro antiquo, cujus verba refert, & meritò laudat Doctus Noster, pariter, ac Religiosus Eusebius Noriemburgius (b), se in hunc modum habentia: *Para miente à todas aquellas cosas que son malas y feas, y lixosas, y dañosas para la carne; y fallarás que todas son malas para el alma. Mala costumbre para el cuerpo es comer, & beber lixosamente, & mas de lo que debes; ca asi como esto es malo para el cuerpo, bien asi es malo pecado para el alma, &c.*

34 Et sanè, ut tandem finiam, semper oportebit, ut Princeps, qui sibi, & suis juste ac prudenter dominari voluerit, in se & in illis ejusmodi ærumnosos gulæ excessus summo studio compescere curet, & ad salutare illud D. Augustini (c) documentum animum advertat: *Carnis ita habenda est cura, ut ne ferociat. Semper, atque semper caro nostra subiecta sit animæ, & sicut ancilla famuletur dominæ suæ. Ne præbeamus vires illicitas corpori nostro, ne committat bellum adversus spiritum nostrum; sed semper sit subiecta caro, ut obtemperet jussis spiritus sui, neque incrasari permittamus ancillam, ne contemnat dominam suam. Rectè enim Prudentius (d):*

*Parcis victibus expedita corda,
Infusum melius Deum recipient.*

Hoc pactus animæ est, saporque verus.

35 Quod etiam potentissimum præstantissimumque remedium esse, ad vulgi seditiones comprimendas, Heraclitus Philosophus nobili illo apophtegmate docuit, quod ab Erasmo, & aliis (e) refertur. Quadam enim exorta, rogatus, ut apud populum sententiam diceret, quo pacto civitas redigi posset in concordiam, concenso suggesto, poposcit calicem aquæ frigidæ, & paululum farinæ inspersit, mox de Glechone admiscuit, id est vel pulegii sylvestris, vel leguminis genus. Dein epoto calice discessit, nec verbum addidit. Hoc pacto innuens, ita demum civitatem caritativam seditioibus, si repudiatis deliciis, parvo contenti esse assuescerent. In quo Heraclitus suo respondit nomini, nam *Schotinus* dictus est, id est *Tenebricosus*. Cui compar Epictetus Cynicæ Sectæ Philosophus, ut post Agellium (f), & alios, Erasmus (g) recenset, universa Philosophorum dogmata, quæ ad humanæ vite pertineant felicitatem, quæque tot voluminibus vix ceteri explicant, duobus verbis absolute complexus est, quæ jam proverbii vice celebrantur. **SUSTINE, & ABSTINE.** Quorum altero monemur, ut adversa foriter toleremus: Altero, ut ab his, de quibus loquimur, superfluis eduliis, & condimentis, & à reliquis illicitis voluptatibus temperemus.

EM-

(t) Inter epist. Mund. Procer adit. Venet. pag. 215.

(u) Loric. de just. Princ. pag. 237.

(x) Patric. de Rep. lib. 5. tit. 8.

(y) Camer. cent. 2. cap. 30. pag. 183.

(z) Eccles. 10. 16. 17.

(a) L. 2. tit. 5. part. 2.

(b) Euseb. in Theo. polit. pag. 559.

(c) D. Aug. de salut. docum. cap. 25.

(d) Prudent. in hymn. part. Cibum.

(e) Eras. lib. 8. Apoph. tangit Aiciat. Emb. 16. & ibi Brocens. & Minoes.

(f) Agell. lib. 17. cap. 19.

(g) Eras. in Adag. pag. 748.

VINOLENTIA PRINCIPIBUS FUGIENDA.



*Quem pugnata colit, semen Jovis, India Bacchum,
Et raptum Lynces, signa timoris, agunt,
Spernite, quos magnos finxit natura Lyæum
Spernite, qui brutis ducitur, atque metu.*

COMMENTARIUS.

1 Uamvis ciborum frugalitas, quam Regibus aliisque Principibus tantopere commendavimus, potus quoque immoderati detestationem in se continet; adhuc tamen è re esse arbitror, speciatim aliqua de hoc vitio in præsentis subnectere, quod superiore quidem gravius, & celsis fastigiis sædius, & indignius existimamus. Et omissis pluribus, quæ de ebrietate, & ebrietatis damnis, Plinius (a), Div. Basilii (b), Clemens Alexandrinus (c), novissimus Camerarius (d), & plurimi alii copiose à Tiraquello (e), Canonherio (f) & à Me alibi relati, dixerunt, sola certè nostri hujus Emblematis effigies ad eam dissuadendam sufficere posset.

2 In qua Bacchum vides, vini auctorem, sive repertorem ab Ethnicis topotatum, & secundum Eustathium, & Rhodiginum (g), ab incondito ululatu sic dictum, quo furentes Bacchæ, sive Menades, ejus pedissequæ, personabant, qui thyrsum gestans, & pampinis redimitus, curru à Lynceibus agitur, animalibus suapte natura præ ceteris timidissimus, laborem fugitantibus, voluptatem appetentibus, prorsusque mollibus, & ignavis.

Cc

Quo

(a) Plin. lib. 14. cap. 22.

(b) D. Basil. in orat. de ebrietat.

(c) Clem. Alexand. lib. 2. Pedagog. cap. 1. Max. Tyrius serm. de ebriet.

(d) Camer. 1. tom. subces. cap. 93. & 94.

(e) Tiraq. de panit. sep. caus. & plures alii apud Me

2. tom. lib. 1. cap. 24. ex num. 69.

(f) Canonher. in Aphor. 1. tom. pag. 785.

(g) Eustathiu. apud Rhodigin. libro 7. capit. 15. col.

lum. 303.

3 Quo veteres, ut Carolus Paschalis (b) ait, significare voluerunt, nimio vino epoto, homines naturalem suam ferociam ac versutiam amittere, pavidos, ac merulosos reddi, & in similes belluas, ignavam atque inerme germen, degenerare. Quos insania proximo intervallo sequitur, simul & corpus enervans, & animi viribus illudens.

4 Quæ sanæ ratio in Lyncibus Bacchi curru jungendis, congruentior mihi videtur alia Georgii Kech (i) qui tradit Lynces, & Tygres Bacchi curru trahere fingi, quia ex omnibus animalibus, hæc tantum ubas comedant; & alia Natalis (k) Comitibus, qui addit, à Pardis quoque & Pantheris eundem curru agi solere, & ex harum ferarum ingenio & immanente denotatum fuisse, vinum immedicè bibentibus, ipsarum naturam imprimere, eosque furiosos efficere.

5 Nam etsi non ignorem ab Aristotele (l), & aliis (m) tradi solere, vinum, jocundos, audaces, furiosos, feroces, atque insanos homines reddere, instar atræ bilis, eaque propter, ipsum Bacchum cornutum pingi, & appellari, à multis solitum fuisse, & à Tyris & Pantheris comitari circumque agi, frequentior tamen Lyncum pictura fuit, ut Ovidius (n) ostendit, dum inquit:

— Ti bijugum pictis insignis frenata
Colla prædis Lyncum, Bacchæ satyrique sequuntur
Quique senex ferula titubantes ebrius artus
Sustinet, &c.

Et iterum (o):

Ipse racemiferis frontem circumdatus visis
Pampineis agitat velitam frondibus hastam
Quem circa Tygres, simulacraque inania Lyncum
Pictarumque jacent fera corpora Pantherarum.

6 Et adhuc tamen certius est, per nimium vini haustum corpus animumque languescere, hebetari, & debilitari. Unde & Temetum dictum esse vinum aliqui (p) ajunt, quod nimirum mentem tentet ac labefacet, & denique membra. Quod respexit Virgilius (q), inquit:

Tentatura pedes solium vitæque lingua.

Et alibi (r):

Ut Venus enervat vires, sic copia Bacchi.
Et tentat gressus, debilitatque pedes.

Et Seneca Tragicus dum ait (s):

Nomine rubescit Bacchus effusus tener
Sparsisse crines, nec manu molli lexem
Vibrasse thyrsium, cum parum forti gradu
Auro decur sorma barbaricum trahit.

7 Quibus assentit Eobanus Hessus in pulchro suo carmine de ebrietate, sic inquit:

Turpe malum, quo non aliud damnosius ullum,
Debilitate manet, viresque extirpat emdo.
Parva metu primo, mox se se attollit in artus,
Ingrediturque caput, sensusque obnubilat omnes.

8 Et apertius idem docet Ecclesiasticus (t) his verbis: *Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ebrietatis animositas impudentis offensio, minorans virtutem, & faciens ulcera.* Et Div. Basilii apud Maximum Tyrium (u), qui interrogatus, quid esset ebrietas? Respondit: *Ebrietas est demon sponte admissus in animos per voluntatem, mater malitiæ, impugnatio virtutis, ex forti timidum facit.*

9 Quod non est mirum si in hominibus accidat, cum Paschalis (x) referat, simios etiam, nimio vini haustu, versutiam, & Elephantes robur amittere, & Laguna (y), Tauros ferocissimos, eo inebriatos, ita mansuetos reddi, ut vel à pueris, & virgunculis se tractari, alligari, & quo velint, duci permittant, & in hunc modum in multis Hispaniæ partibus ad Ecclesiam in Divi Marci vespere duci solere.

10 Prout & hodie frequentius usurpatur in oppido de las Brozas, ubi tamen multi, non videntur

(b) Paschal. in lib. de virtut. & vitiis, cap. de ebriet.
(i) Georg. Kech in Mythol. fab. cap. 10.
(k) Natal. in Mythol. lib. 13. cap. 5. pag. 507.
(l) Arist. in hist. natur.
(m) Horat. lib. 2. od. 19. ubi latè Torrent. & Cabot. & plenius ex Giral. & aliis, Camer. dict. cap. 93. per totum.
(n) Ovid. 4. Metam.
(o) Idem lib. 3.

(p) Rob. Stephan. Calep. & Fungler. hoc verbo.
(q) Virg. 2. Georg.
(r) Idem in carm. de vino, & venere.
(s) Senec. in Hercul. furente.
(t) Eccles. 31. vers. 39. 40.
(u) Tyrius term. de ebriet.
(x) Paschal. supra.
(y) Laguna sub Dioscor. cap. 119. fol. 450.

ni virtutem, sed vim divinam, in ejusdem Sancti honorem, agnoscunt, sub cujus vocatione Taurus venire jubetur. Mihique fidem fecit vir quidam gravissimus, Regiusque Consiliarius, qui huic spectaculo nuper interfuit, absque ulla vini propinatione, aliòve fucço, vocatum Taurum, vocationi paruisse, & relicto aliorum grege, & pastus uberrimo pabulo, Vesperis, & Missæ, solemnique processioni, quæ ibidem in Divi Marci honorem peragitur, mansuetissimum interfuisse. Quod tamen, quia superstitionem redolet, & mireculum neququam necessarium requirit, docti alii & pii viri (z) in posterum abolendum censent, & ita per Pontificium diploma Clementis VII. F. R. ad instantiam Episcopi Civitatis, decretum fuisse commemorant, quamvis adhuc dicti populi accolæ in more veteri perseverent.

11 Videant ergo Reges, qui præcipuè ex animi & corporis fortitudine gloriari commendarique solent, & debent, quam sit indignum, radiata capita Baccho submittere, vinoque inebriari, in quo non solum ex luxuria, ut Apostolus (a) dixit, sed timiditas, & ignavia, viriumque mentis, & corporis enervatio, & ut bene addit Franciscus Patritius (b), Regiarum omnium virtutum obscuratio, quantumvis ille maximè sint, ut in Magnò illo Alexandro contigisse narrat Plutarchus (b) addens, quàm perditè infami huic vitio deditus fuerit, & notanda certamina, ac præmia, quæ suis in cænis plus potantibus indicebat. In quarum una ipse idem, carissimum sibi ac fidelissimum Clitum inter pocula transfodit, & postea sobrius factus, facinore, quod patraverat, intellecto, præ dolore (ut latè & eleganter Quintus Curtius (d) enarrat) se ipsum occidere voluit.

12 Et tandem vino suffocatus interiit. Unde de eo dixit Augustinus (e): *Innumerabiles quidem jugum dominationis diu recusantes, vinolentia in alienum redegit arbitrium. Alexander omnium victor, à vino victus est.* Et ante eum Seneca (f) Alexandrum, qui tot itinera, tot prælia, tot byemes, per quæ vitia temporum, ac locorum difficultate, transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, atque maria tutam dimiserunt, intemperantia bibendi, & ille Herculæus ac facilius Scyphus summersit. Quasi diceret: *El que avia pasado tantos rios, i tantos mares, se vino á abogar en una taza de vino.*

13 Idem vitium Mithridatem Ponticum obscuravit. Idem Antonium Triumvirum, qui ad vomitum usque in conspectu Quiritum bibebat (g). Vitrellium, qui ad perdenda vina natus dicebatur; Maximum qui sæpè uno die totam amphoram vini bibisse memoratur. Bonosum, qui tantum mingebatur, quantum bibebat, qui cum laqueo gulam sibi fregisset, penderetque, non hominem, sed amphoram pendere dicebant. Dionysium Juniorem Sicilia Tyrannum, qui nonaginta dies continuos bibere poterat.

14 Et relicto his, & similibus aliis Imperii, imò & naturæ opprobriis, insignibusque Biberonibus, de quibus Alexander ab Alexandro (h), Bruno (i) Seydelius, Philippus Camerarius, (k) & multi alii multa dixerunt; Tiberius Imperator, ita à Tacito, & aliis prudentiæ titulo commendatus; adeò vino deditus fuit, ut, Suetonius (l) in ejus vita testante, in castris, tyro etiam, propter nimiam ejus aviditatem, pro Tiberius, Biberius, pro Claudius, Calidius, pro Nero, Mero, vocatus fuerit.

15 Et quod magis mirere, Trajanus, quem bonorum, imò & Sanctorum Imperatorum typum, Plinius Junior, & alii passim facere volunt, eò etiam nomine malè audit, ut Dio, & Spartianus (m) commemorant, quòd se nimio vino ingurgitaret, indeque utrique Veneri, aliisque vitiis indulgeret, quæ latius eidem Hieronymus Cardanus (n) exprobat, licet eum ab ebrietate Lipsius (o) excusare conetur, inquit, ad diluendas curas, id ab eo, ut & ab aliis magnis viris, de quibus Seneca (p) scribit, justissimè factum, & ex Eutropio addens, quòd hoc vitium, quo, ut & pater ejus adoptivus Nerva, tangebatur, prudentia molliverat, curari vetans jussa post longiores epulas.

16 Planè Commodi, sive Incommodi, Romani etiam Imperatoris, in hoc, ut & in aliis vitiis, excessus, ab scribendo refugit manus, ut bene Baptista Fulgosus (q) animadvertit, inter alia recensens, quòd cum nimia crapola, nimioque coitu, gustum omnem amisisset, ad id furoris devenit, ut humanum stercus cibis immisceret, eosque irrideret, qui eam mixturam adhorrent. Irrisorum duos, nudos, synapi totum perfusus corpus in mensam in patinis ferri justis,

Cc 2

(z) Moura de incantatione, sec. 1. cap. 1. num. 14. & sec. 2. cap. 2. num. 13. Ant. Perez in Laurea Salmant. cert. 7. expos. cap. 1. num. 21.
(a) Div. Paul. ad Ephes. 5. 18.
(b) Patrit. de Reg. instit. tit. 26.
(c) Plutar. in vita Alex.
(d) Q. Curt. lib. 8. cap. 3.
(e) August. ad sacras Virgini.
(f) Senec. epist. 28.
(g) De hoc vomitu Anton. vide omnino Cicet. orat. in Anian. Triumv.

(h) Alex. lib. 6. cap. 20.
(i) Bruno lib. 3. de ebriet.
(k) Camer. 1. tom. pag. 444.
(l) Suet. in Tiber. cap. 42.
(m) Dio in Traj. Spart. in Had.
(n) Cardan. in Apologia pro Nerone.
(o) Lips. in not. ad Paneg. Plin. pag. mibi 97.
(p) Senec. de strang. vit. cap. ult.
(q) Fulgos. lib. 9. cap. 1. fol. 310. & 311. ex Herod. & Lamp. in vit. Commod.

sit, quos statim muneribus locupletavit. Julianum quoque urbis Praefectum, multis spectantibus, nudum saltare coegit, omnes, ut ipse erat, amentes haberi cupiens.

17 Nec solum Romanos Imperatores hac pestis infecit, nam & Graecorum plures tenuisse legimus. Inter quos de Zenone tradit Nicephorus (r), quod flagitiosissimus fuit, & cum ex ebrietate sensum omnem amisisset, in tumultum coniectus fuit, & postquam per sobrietatem ad seipsum rediit, in ipso monumento exclamavit, vitam se solum, non etiam Imperium petere, paratumque esse cuivis, jure jurando interposito, eo cedere. Neminum illum, illa dicentem, miseratum fuisse, propterea quod conjux Ariadna id prohibuisset, quae eum valde odio habebat.

18 De Germanis plura dicere possem, cum hoc vitium sit veluti illi nationi cognatum; sed solum Wenceslaum Imperatorem in medium producam, qui, ut Aeneas Silvius (s) & Camerarius narrant, vini tam avidus fuit, ut tametsi Bohemiae, Hungariae, adedque Italiae vina haberet generosissima, Fustenbergensis tamen vini Rhenani aliquot cados à celebri civitate Germaniae Norimbergensi efflagitarit, quam etiam hac propter à fide, & juramento, quo sibi devincta erat, absolvit. Crebroque sermone usurpare solebat, si se diripiendis Italiae urbibus sors praesentem dedisset, ceterarum rerum praedam militibus impartiturum, vini tantum apud se spoliis reservatis.

19 Neque est praetereundum, quod de Huldrico de Nova inter Bohemiae proceres facile Principe, idem Aeneas (t) tradit, qui liberos suos quam primum ab lactatos noverat, ad usum vini fortioris exercebat, eam hujus facti rationem reddens, ut liberi sui cum adoleverint, amareque vina coeperint, securi, quantum voluissent, bibere possent, neque vino caperentur.

20 Et de alio Henrico Goricie Comite, qui filiis suis antequam pueritiam excederent, etiam reluctantibus, vinum ingerebat; illudque è vomentibus prolem suam esse negabat, sic eos ad vini haustum explorans, sicut aquila pulos ad Solis radios:

Vel quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

21 Cum ergo aded damnosum ac probrosum in omnibus, sed praecipue in Regibus, hoc vitium ebrietatis existat, merito in Proverbiis (x) Salomon dixit: *Noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, & ne forte bibant, & obliviscantur iudiciorum, & mutant causam filiorum pauperis: & in Ecclesiastico (y), misera iudicatur terra, cujus Principes mane comedunt, & bibunt; ut beata è contrario illa, ubi hoc suo tempore faciunt, & ad reficiendum, non ad luxuriandum. Et hanc ob causam Solon legem tulisse fertur apud Laertium (z), ut ebrius Magistratus occideretur.*

22 Et Aegyptius, referente Alexandro (a), omnis temulentia in Regibus capitalis fuit, certa eis ad bibendum designata mensura. Et hoc erat aded observatum, ut cuilibet privato liceret Regem occidere ob hoc crimen, & quid id faceret, in honore erat. Quod & apud Persas obtinuit, ut Athenaeus (b) prodit, nisi quod hi, semel in anno, ut se inebriare possent, suis Regibus permittentur.

23 Et aliis relictis, apud nos Hispanos, ita per legem patriam (c) Alfonsi X. Regibus commendatur, ut in hac sola, ea omnia, quae supra retulimus, veluti in compendium redigi videantur, ita enim se habet: *E del beber, decimos, que es una de las cosas del mundo, de que el Rey se debe mucho guardar, porque esto non se debe hacer, sinon en las sazones que fuere menester al cuerpo, è aun entonces muy mesuradamente. Ca mucho, seria cosa sin razon, que aquel à quien Dios dió poder sobre todos los omes que son en su señorio, que dexase al vino apoderarse de si. Ca el beber, que es sobejano, saca al ome de las cosas que le conviene, è facile facer las que son desaguadas. E por esta razon usaban los Antiguos, que non diesen vino à los Reyes fasta que fuesen de edad; è aun entonces mesuradamente, è templado. E esto facian porque el vino ha gran poder, è es cosa que obra contra toda bondad. Ca èl face à los omes desconocer à Dios, è à si mismos, è descubrir las poridades, è mudar los juicios, è cambiar los pleitos, è sacarlos de justicia, è de derecho. E aun sin todo esto, enflaquece el cuerpo del ome, è menguale el seso, è facele caer en muchas enfermedades, è morir mas aina que debia. Onde los Reyes que esto non catasen, è darlesye Dios en este mundo por pena muchas enfermedades, è pesares, è en el otro facerlesye como aquellos que toman vida de bestias, è dexan la de los omes.*

Qua

(r) Niceph. lib. 18. cap. 24.

(s) Aeneas Sylv. in notis ad Panorm. lib. 2. cap. 17.

(t) Idem Aeneas Sylv. ubi supra lib. 1. cap. 41.

(u) Claudian.

(x) Proverb. 31. 4. & 5.

(y) Eccles. 10. 17. vid. Scomb. lib. 2. cap. 17. in princ.

(z) Laert. in Solone.

(a) Alex. ab Alex. & ejus addit. Tiraq. lib. 3. cap. 11. pag. 336. Strabo lib. 15.

(b) Athenaeus lib. 10. cap. 11.

(c) L. 2. tit. 5. part. 2.

24 Quae omnia satis etiam ex Platonis (d) comprobantur doctrina, qui sub Custodis nomine, ut saepe solet, de supremo Principe loquens, ita habet: *Ab ebrietate itaque omnibus diximus abstinendum: sed tamen cum alii, tum maxime Custodi non conceditur, ut ebrietate gravatus, ubi terrarum sit nesciat. Nempe ridiculum esset, Custode indigere custodem. De his vero quid dicemus? Athletae quidem bi viri sunt, & maximi quidem certaminis. Ergo dedecet ebrietas hos bellicosos Athletas, quos velut canes insomnes esse oportet, & acutissime videre, atque audire.*

25 Neque id idem latuit Basilium Imperatorem (e) dum inter capita quaedam exhortatoria, quae Leoni filio dictavit, de luxu & ebrietate, sic scribit: *Refuge comessationis, in quibus indulgetur poculis, ebrietas enim inimica est prudentiae. Ubi enim mens à vino opprimitur, idem contigit Principi, quod imperitis aurigis, qui cum regere currum nesciant, & se ac suos equos buc, atque illuc circum agunt, & spectatoribus magnos risus excitant, ac denique in praecipitia feruntur.*

26 Quibus non obstat si dixeris, multos de Vini laudibus, & utilitatibus multa dixisse, quos in unum Petrus Andreas Canonherius (f), & Prosper Rendela (g) novissime contrahunt. Inter quas Anacreon, illud ad sopiendas arumnas valde conducere inquit, quem & Horatius (h) sequitur, inquit:

*Sicis omnia nam dura Deus proposuit, neque
Mortales aliter diffugiunt solitudines.*

Et alibi (i) adens, ad excitandum ingenium, & scribenda carmina multum prodesse, &

*Nulla placere diu, nec vivere carmina posse,
Quae scribuntur aquae potioribus.*

Quod etiam de se Martialis profiteatur, dum dixit (k):

*Possum nil ego sobrius; bibenti
Succurrent mihi quindecim Poetae.*

Et sequi videtur Alciatus (l) in illo Emblemate, quo, ut ostendat vino prudentiam augeri, Bacchum Palladii jungit, eodemque patre genitos fuisse perpendit, & his carminibus utitur:

*Hec Bacchus Pater, & Pallas communiter ambo
Templa tenent, soboles utraque vera Jovis.
Hec caput, ille femur solvit: Huic usus olivae
Debitus, invenit primus at ille merum.
Junguntur merito: quod si qui abstemius odit
Vina, Deae nullum sentiet auxilium.*

28 Cujus haerens vestigiis Hadrianus Junius (m), aliud de eodem Baccho alato formavit, cum lemmate, *Vinum ingenii fomes; & his versibus:*

*Uxerum Bromium, volucrum, sed praepete penna,
Quid tacite posuistis Amyclae;
Tollit humo ingenium Bacchus, mentem erigit altam;
Pegaseaque velut vehit ala.*

29 Etenim licet haec vera esse posse concedamus, intelligenda plane sunt, de mero moderate temperateque sumpto, quodque ingenium exhilaret, non obaulet, & mentis, animique vigorem acuat, potius quam terat, & obraat. Qui potandi modus etiam ab Ecclesiastico permittitur, & laudatur, quatenus inquit (n): *Vinum in jucunditatem creatum est, & non ebrietatem ab initio. Exultatio animae, & corporis vinum moderate potatum. Sanitas est animae & corporis sobrius potus.* Et idem docet D. Paulus (o), dum Timotheo consulit, ut moderato vino utatur propter stomachum, & lex Partitae, quam supra retulimus, quae solum, etiam Regibus, ebrium, & superfluum potum prohibet, non sobrium, & mensuratum. In quo etiam comprobando, & defendendo, late expaciat Clemens Alexandrinus (p), & in ejus notis Gentianus Hervetus, & Divus etiam Augustinus (q), Manem reprehendens, qui in totum (ut postea Muselmanus, si ve Mahoma) à vino abstinendum dicebat, & illud, ut fel draconis calumniabatur. Plutarchus

(d) Plato de Republic. Dial. 3.

(e) Basil. Imp. in exhort. ad filium, cap. 25. quae ex-
rat in 5. tom. Basilic. SS. PP.

(f) Canonh. de vino, & vini virtut.

(g) Rendel. de vindem. & vino.

(h) Horat. lib. 1. carm. od. 18.

(i) Idem lib. 1. epist. ad Mecenas.

(k) Martial. lib. 11. epigr. 7.

(l) Alciat. Embl. 23.

(m) Hadrian. Jun. Emblem. 34.

(n) Eccles. 31. 15. 16. 17.

(o) Div. Paul. ad Tim. 1. 5.

(p) Clem. Alex. lib. 2. Pedagog. cap. 3.

(q) Div. August. in lib. de Haeres.

chus (r) quoque, & plures alii à Camerario (s) relati, modicam crapulam laudant.

30 Et Anacharsis apud Laertium (t) eidem harena sententia, rectè dicebat, vitem ferre tres brotos, primum voluptatis, alterum ebrietatis, tertium molestia. Quod dictum Apulejus (u) celebre vocat, & sic explicat: *Prima Craterea ad Sitim pertinet; Secunda ad Hilaritatem; Tertia ad Voluptatem; Quarta ad Insaniam.*

31 Unde fortè decreta Canonica (x) profluxerunt, quæ Episcopis, aliisque Presbyteris, tantum in refectioem, inter, prandendum, vel cœnandum, bibere jubent. Quod licet non præceptivè intelligendum sit, atque ad ad mortale peccatum non obliget, juxta ea, quæ Abbas, & Alii (y) notarunt, satis tamen indicat, quanta in Sacerdotibus sobrietas requiritur: quibus lex Levitici omninò vinum bibere prohibebat. Cujus eam rationem ibidem reddidit Cajetan. *Ut in Sacerdote ad suum officium exercendum daretur bona dispositio.*

32 Neque ab his dissentit Horatius; nam licet in locis supra relatis, & in aliis, multum Baccho deferre videatur, in alio tamen iis, qui gratis sacrificant, tres tantum cyathos haurire permittit, quamvis Musarum cultoribus, hoc est Poëtis, novenum concedat sic dicens (z):

*Qui Musas amat impares,
Ternas ter Cyathos attonitus petet
Vates. Tres prohibet supra,
Rixarum metuens, tangere gratia.*

33 Et alibi (a) apertè fatetur, immoderatam crapulam ad omnia omnibus noxiam esse, & plurimis dampnis occasionem præstare, sic inquit:

*Nequis modici transiliat munera Liberi,
Centauræa monent cum Laphitis rixæ super mero
Debellata: Monet Sitbonis non lenis Ercius;
Cum fax atque nefas exiguo sine libidinum
Discernunt avidi.*

34 Quinimo & à Poëtis, ceterisque scientiarum professoribus, prudentiæ amatoribus, parcè sumendum, ille idem Alciatus, cujus supra Emblema in contrarium adduxi, in sequentibus explicat: Olivam, Minervæ arborem, uvarum racemis implicitam, pingens, & ita loquens:

*Quid me vexatis rami? Sant Palladis arbor
Auferte hinc botros, Virgo fugit Bromium.*

35 Et rursus, statum Bacchi imberbis, nudi, cornuti, fistulaque ac tympano concinentis, ejus mysteria dialogismo elegantissimo explicat, qui lectu dignissimus est, inter alia eandem temperationem his carminibus probans:

*Hoc doceo, nostro quòd abusus munere, sumit
Cornua, & insanus mollia sistræ quatit.
Hinc sapit hic, liquidis, qui nos benè diluit undis:
Qui non ardenti torret ab igne jecur.
Stes intra heminas, nam qui procedere tendit.
Ultra, alacer, sed mox ebrius inde fuerit.*

36 Alter quoque recentior Emblemarius (d), Alciatum, & Junium sequutus, Bacchum alato, alatum etiam Pegaso junctum depingit, ut sic ostendat, vinum ingenium acuire; sed hoc cum temperatione, de qua loquimur, intelligendum, hoc carmine ostendit.

*Pegasus & Bacchus tabula junguntur in una,
Huic latus, huic sacrum circuit ala caput:
Mens humana calens modico perfusa lico,
Surgit, & ignavam deserit ales hujum.*

37 Quin ipse quoque Junius (e), idem ipsum satis aptè sub Emblemate Upupæ, quæ ebrietat-

(r) Plutarc. in sympos.

(s) Camer. 3. tom. pag. 441.

(t) Laert. lib. 1. cap. 9.

(u) Apulej. 4. Florid.

(x) Cap. quando 9. dist. 44. gloss. in cap. 1. de homic. verb. Temperatè, & in dict. leg. Part. verb. Mesuradamente.

(y) Abb. in cap. crapula, num. 2. de vita & hon. Cler.

Gutier. lib. 2. Canonh. cap. 4. num. 53. Acuña dict. cap. quando, num. 2.

(z) Horat. lib. 3. carm. od. 16.

(a) Idem Horat. lib. 1. carm. od. 18.

(b) Alciat. Emb. 24.

(c) Idem Alciat. Emb. 25.

(d) Schoonhov. Emb. 19.

(e) Junius Emb. 15.

tatem cavens, adjati ramo se munit, his verbis commonefecit:

*Pampineis cristatus Epps, vide, ut eger ab urvis,
Naut adjantise virente ramulo.
Se Sophie monitis mens, serva affectibus, armat:
Temetique vires frangit abstinentia.*

38 Et iterum (f) in Adagiis, ex Polemone tradit, tantum abesse, quòd vina Musis, & Sapientia conducant, quòd potius Athenienses sobria, sive abstemia omninò sacra, Memoria, Musis, Nymphis (quæ Sacrosancta illis erant nomina) offerenda esse putaverint, nullo vini usu; sic ejus merciore potu memoriam obnubilari, ingenii aciem obtundi, virginitatis secreta tentari, demonstratione symbolica ostendentes.

39 Qua similiter utens Petrus Costalius (g), Bacchum inter Judices sedentes effigians, nimiam errandi periculum, in eo valde obsessis, sic explicat:

*Bacche Pater, Judex, Apiana insignis in roa
Patritios inter dinumerate senes:
Disce coronatis modicè crateribus uti,
Non est in multo mens benè docta mero.*

40 Et Propertius (h), insignis quidem ipse Poëta, & inter Elegiacos Coriphæus, non solum non juvari Musam, sed imò illo habetari, satis ostendit, dum inquit:

Me jucat, & multo mentem vincire Lyæo.

Quod, ut ejus Commentator advertit, perinde valet, ac dicere, indulgere genio, & nonnumquam ad ebrietatem, usque pervenire, quod ubi fit, mens vincitur mero, quo tamquam vinculo impedita, nquit satis officium suum facere; unde & in proverbium ab iis apud Plinium (i), *Vino Sapientiam brumbari.* Impedit enim curam vigoremque animi, ad procinctum tendentibus, & alia plura dama, & incommoda generat, quæ supra retulimus, & idem ipse Propertius alibi (k) indicat, latè in vinum, vinique inventorem invehens, sic inquit:

*Ab pereat quicumque primus meracas reperit uvas;
Corruptique bonas neclare primis aquas, &c.*

41 Cui Recator alter Poëta (l) concinit, non minus dissertè aliis Antiquioribus supra relatis, Baachi effigiem depingens, & ejus damna his carminibus detegens:

*Bacchus cur puer est? Pueri facit omnia ritu.
Cur vagus? haud casti frenæ pudoris habet.
Cur nudus? nihil est, quod non legus ille revelet.
Cur ferus? iratis addere calcar amat.
Cur liber? stolidam nescit compescere linguam.
Cur niger est? Animos ebria vina parant.
Cur secum satyros habet? igne libidinis ardet.
Cur tygres? rabida plus feritate nocet.
At cur pantheras? vinum facit esse protervos.
Cur Bacchas? molles ducit amatque choros.
Cur Nymphas? mites scit mitior esse per artes.
Cur Vates? Phebo fertilis ille suo esse.*

42 Et in eadem immoderati Bacchi, sive ebrietatis vitii, & nocivis operationibus expendendis, ultra Diom Basilium, & alios supra relatos, valde etiam acris, & elegans est Divus Augustinus (m), Ebrietatem definiens, Flagitiorum omnium matrem, culparum materiam, radicem criminum, originem vitiorum, turbationem capitis, subversionem sensus, tempestatem lingue, procellam corporis, naufragium castitatis, amissionem temporis, insaniam voluntatis, ignominiosum languorem, turpitudinem morum, dedecus vitæ, honestatis infamiam, animæ corruptelam. Et in ali loco (n) adhuc superadjiciens, quòd ebriosus, si vinum sorbet, ab illo absorbetur: Deo fit dominabilis; ab Angelis despicitur: ab hominibus deridetur: ab omnibus confunditur, conculatur ab omnibus: confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam.

(f) Idem Juniusent. 3. prov. 1.

(g) Costal. in igm. 1.

(h) Propert. lib. eleg. 4.

(i) Plin. lib. 23. cap. 1. Erasm. in Adagiis pag. 458.

(k) Idem lib. 2. eleg. 33.

(l) Nicol. Ruding. in Epigram.

(m) Div. August. in serm. ad sacras Virgines.

(n) Idem August. in lib. de panis.

43 Unde passim in sacra Pagina (o), & ab ipsis aded divina luce destituti Ethnicis, quos meliori luto finxit præcordia Titan, hocce flagitium probrosus judicari, & gravissimè damnari legimus. Et dammandus & rejiciendus pariter est Matthias Bernegerus (p), & alii, quos ipse recenset, dum in quæstionem vocare audent, *An habenda probrosa sit ebrietas?* Et illam futillibus, & affectatis quibusdam rationibus aliquando permittunt. Nisi fortè eos excuses, quod Germani ipsi, Germanorum hac in parte antiquam consuetudinem, se immo dico vino ingurgitandi, retineant; ita ut dubium sit amplius bibant, quam evomant, atque profundant? Quod tamen nihil ipsorum prudentiæ, studiis, cordatis consiliis detrahere, officere gloriantur. Illud Taciti (q) proferentes: *Deliberant dum fingere nequeunt, constituunt dum errare non possunt.* Quo solo vade, aut præde, eisdem in Apollinis consistorio, suarum, quas vocant, *Sottocoparum*, continuationem permissam fuisse, venustè Trajanus Bocalinus (r) confingit.

44 His alia detestationem, & exprobrationem eorum dicere destinaram:

*Quos mox a vino juvat indulgere Tabaco,
Eque tubo genitas, haurire, & reddere nubes.*

Sed cum de Regibus, & Principibus agam, opus esse non arbitror, spurcum hoc vitium illis dissuadere, quod vel infimæ plebis hominibus, ipsi, (si quid in me est judicii) prohibere deberent, siye hæc pestilens herba in pulvere naribus, siye in fumo gutturi propinetur, ut latius alibi (s), pluribus in eandem sententiam relatis, disserui, adducto præclaro carmine Joannis Barclai, quo illam peritissimè, & penitissimè describit, & execratur, & præter alia plura sic habet (t):

*Planta nocens, ò lethifero planta horrida fumo,
Quam bona diversis natura demoverat oris.
Quis te, planta nocens, tristi vectare carina
Instituit demens, nostrisque ostendere terras? &c.
Unis sordes facinusque tuum, dirosque vapores
Explicit; & fædo surgentia nubila fumo?
Planta nocens, ò lethifero planta horrida fumo.*

45 Verùm, ut tandem huic Commentationi finem imponam, si quis sanctam, & bonam ebrietatem requirat, illam apud Divum Augustinum (u) designatam reperiet, dum illud Davidis illustrat: *Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quam præclarus est. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Sin autem sobrietatis commendationem, ut sic ebrietati opposita, illius fructus, & hujus fluctus magis appareant, eundem quoque Augustinum (x) legere poterit, his illam verbis graphicè prædicantem, & extolentem: Sobrietas est castitas sensus, & mentis, & membrorum omnium corporis; tutela castitatis, pudicitia munimen, pudori proxima, amicitia, pacisque serva, honestati semper conjuncta, criminum vitiorumque omnium fugatrix, recti judicii, memoria, recordationisque inseparabilis amica, secretorum custos, arcani velamen, lectionum, & doctrinæ capax, studiorum, & artium bonarum discipula pariter, & magistra, ingeniorum instituendorum pedisequa, bonæ famæ semper avida, in cognitionibus salubris, atque utilia causans, virtutis singulare auxilium, cuncta cum ratione disponens, in congregatione honestorum se ipsam semper ingerens. Sobrietas temeritatem fugit, pericula cuncta declinat, mutuis officiis obtemperat, superbiam derestatur, domum familiarumque cum moderatione gubernat, fidem sibi committentibus servat, omnes causat virtutes, & omnes laudum tituli semper eam concupiscunt, quia sine ipsa ornari, aut placere non possunt.

EM-

(o) Deut. 21. 20. Proverb. 20. 1. & 31. 4. Isai. 5. 11. Luc. 21. 34. ad Rom. 13. 13. 1. ad Corint. 6. 10. Galat. 5. 21.

(p) Berneg. ad Tacit. de mor. Germ. quest. 118.

(q) Tacit. de mor. Germ.

(r) Bocalin. cent. 2. ragu. 29.


(s) Ego 2. tom. de Indiæ. gubern. lib. 1. cap. 8. ex num. 23. Weston. in Theat. vii. civil. lib. 3. cap. 29. Euseb. Noriemb. de histor. natur. lib. 15. cap. 65.

(t) Barclai. in Satyr. part. 2. circa finem.

(u) Div. August. sup. Psalm. 22. & 35. & 74.

(x) Idem in serm. ad sacr. virgin.

IRA ANIMI LUTUM VOMIT.



*Cum mare quassatum ventis crispatur in æstus
Projicit ad ripas mobilis unda lutum.
Comprime, Rex, fluctus animi, quos excitat ira,
Si fueris incautus, quod latet ecce lutum.*

COMMENTARIUS.

I Emulentia vitio, de quo egimus, æquale, vel majus illud quoque est, quod nunc execrandum suscipimus, & procul pariter à Regis animis esse debere, insinuare desideramus. Ira nimirum, siye iracundia, quæ, ut & ebrietas: *Furor brevis*, ab Horatio (a), & aliis (b) passim cognominatur, & corpus, animum, ac mentem potentius sæpè quàm illa, turbare, & vincere solet, & ut cum Catunculo (c) loquar, impedire: *Ne possis cernere verum.*

2 Unde quemadmodum Plato (d) discipulos suos admonere solebat, ut se ebrios in speculo contemplerentur. Sic enim fore, ut dum faciem suam furibundam, & frænetico similem, intuerentur, in posterum ab ebrietatis vitio abhorrent: ita & Plutarchus (e) scribit, ad iram damnam, & in posterum cohibendam, non parum prodesse, ut quis, dum est iratus, se in speculo inspiciat. Etenim videre tunc se ipsum contra naturam affectum, & conturbatum vultu, non potest non efficere, ut deinceps temperator, ac sedatior esse procuret.

3 Quod monitum prius ab Ovidio (f) traditum fuit, Palladis simul exemplo utente, quæ tibi abiecit, quando se in fonte, inflatis buccis, vultuque deformi, earum occasione conspexit:

*Pertinet ad faciem rapidos compescere mores,
Candida pax homines, trux decet ira feras.*

Ora tument ira, nigrescunt sanguine vene,

Lamina Gorgoneo sevis angue micant.

I procul hinc dixit, non est mihi tibia tanti,

Ut ridit vultus Pallas in anne suos:

Vos quoque si media speculum speletis in ira,

Cognoscet faciem vix satis ulla suam.

4 Hanc quoque animi affectionem, seu commotionem, satis eleganter describit, & reprehendit Persius (g), sic iniquens:

Nunc face supposita fervescit sanguis, & ira

Dd

(a) Horat. lib. 1. epist. 2.

(b) Seneca Philem. Cassiod. & alii apud Tiraq. de

(c) Cato in Distich. lib. 1.

(d) Plato. apud Fulgor. lib. 7. cap. 2.

(e) Plutarc. in Dialog. de cobib. ira.

(f) Ovid. lib. 5. de Arte amandi.

(g) Pers. satyr. 3. in fine.

Scintillant oculi: dicis facisque quod ipse
Non sani esse hominis, non sauis juret Orestes.

Et melius adhuc Divus Chrysostomus (b), tradens, iram, vehementem ignem esse omnia consumentem: Quippe quae corpus corrumpit, animam coinquinat, tristitiam affert, turpis visus, quod si iratus se ipsum intueri posset, nulla altera indigeret admonitione. Nihil enim irato turpius. Ebrietas quaedam ira, vel potius ebrietate gravior, & demone miserabilior.

5 Et quod ebrietatis speciem praebeat, nec sobrius, qui eam patitur dici mereatur, satis etiam appositè descripsit ille, qui dixit (i):

Ebrietas à me procul est, hoc dicis in horas.
Nec nimio est inquam mens mea mota mero.
Quid tum; si pectus tenet insaturata cupido?
Irae si ratio dat tua vicia locum?
Si levibus causis alios inaccessis, erisne
Sobrius, exigui sis licet ipse meri?
Sobrius esse potest ratio quem deserit omnis?
Nec madida ebrietas, nec mihi sicca placet.

6 Et consonat illud, quod post Plutarchum (k) D. Gregorius (l) admonuit, iratum hominem mari fluctibus agitato similem faciens, quod lutum, algam, spumam, & alias sordes in litus emittit, prout & iratus animi lutum vomit, & hac astuantis spiritus commotione (ut & in ebriis contingit) non facienda facit, non aperienda detegit, amaraque, & contumeliosa verba in alios effundit, quae primum ipsum à quo dicuntur, inquinant, & famae labem aspergunt.

Ex qua similitudine hoc, quod vides, Emblema deduximus, cui elegantè etiam suffragatur Boëtius (m), hunc, & alios similes depravati animi affectus, eidem, ventis turbato, & cœnoso mari, his verbis equiparans,

Si mare volvens turbidus Auster,
Vitrea dudum, parque serenis
Unda diebus, mox resoluta
Sordida caeno, visibus obstat.
Tu quoque si vis lumine claro
Cernere verum, tramite recto.
Carpere callem, gaudia pelle,
Pelle timorem, spemque fugato,
Nec dolor adsit, nubila mens est,
Vinctaque frenis, haec ubi regnant.

7 Quem Plautus (n), & Juvenalis (o), non dissimili ratione fermentum appellarunt, & Adagio (p) In fermento jacere, originem fecerunt, sic haud dubiè insinuantes, quod quemadmodum fermentum totam massam corrumpit, ita & ira omnes virtutes accidas reddit, iratosque furiosos, tam in gestu, ac vultu, quam in dictis & factis similes efficit. Unde elegantissimè Seneca (q): Ut furentium (inquit) certa indicia sunt audax, & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra, & vehementius aëria suspiria: ita irascentium eadem signa sunt, flagrant, & micant oculi, multos ore toto rubor exæstante ab intimis precordiis sanguine, labia quatuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac subrigent capilli, spiritus coactus, ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, &c.

8 Eandemque corporis, & animi commotionem, ac concussionem præ ira, quae fervente Canicula in hominibus accendi solet, describens Manilius (r), sic ait:

Iramque dabit fluctus, odiunque metumque
Totius vulgi. Praecurrunt verba loquentis,
Os est ante animum, nec magnis concita causis
Corda micant, & lingua rapit; latratque loquenda.
Morsibus in crebris, dentes in voce relinquit
Ardescit vitium vitio, viresque ministrat
Bacchus, & in flammis sævas exsuscitat iras.

9 Silius (s) etiam Italicus Hannibalem pingens, in Flaminium Consulem, ob Sychei mortem acri-

(b) Div. Chrisost. hom. 25. in Joan.
(i) Incertus Poeta in Theat. lit. A. pag. 169.
(k) Plutarc. in Moral.
(l) Div. Greg. in homil.
(m) Boet. de Consol. lib. 1. met. 7.
(n) Plaut. in Mercat. Act. 5. Scen. 3.

(o) Juven. satyr. 3. vers. 118.
(p) Erasm. in Adag. pag. 426.
(q) Senec. lib. 1. de ira, cujus meminit Causin. de eloq. sacra, lib. 4. cap. 49. pag. 158.
(r) Manil. lib. 5. Astr.
(s) Silius lib. 5. bell. Punici, ad finem.

acriter minitantem, eosdem iræ affectus, & effectus, ita exprimit:

Sic memorans torquet fumentem ex ore vaporem,
Iraque anhelatum proturbat pectore murmur:
Ut multo accensis fervore excubereat ignis
Clausus, ubi acusto liquor indignatur abeno.

10 Nec minus scitè Claudianus (t) ejusdem iræ in humano corpore sedem, atque operationem exponens:

Quippe Opifex veritus confundere sacra profanis,
Distribuit partes animæ, sedesque removit.
Iram sanguinei regio sub pectore cordis
Protegit imbutam flammis, avidamque nocendi,
Præcipitemque suâ. Rabie succensa tumescit,
Contrahitur tepefacta metu; conque omnia secum
Duceret, & requiem membris vesana negaret,
Invenit pulmonis opem, madidumque furenti
Præbuit, ut tumida ruerent in mollia fibra.

11 Rectissimè quidem, & verissimè omnes, quoniam ira inexpugnabilis invictaque est, mentem alienas, speciesque morbi humani, quo infra hominis speciem homo dejicitur, & ex homine brutum quodammodo redditur. Quoniam qui ea vexantur, vel à nemine lacessiti, vehementissimè irascuntur, altè vociferantur, in obvios irruunt, & seipos, aut alios cædunt, & ut cerebri, vel cordis vitio laborant, vel una, aut altera bili occupantur, effervet sanguinis, visus corrumpitur, ut unum videntes, duo propter spiritus motum judicent vidisse, agitantur, inflammantur, & succenduntur, & tamquam dementes quandoque redduntur.

12 Unde Aristoteles apud Stobæum (u) iracundiam ita definiit, ut sit Perturbatio ferina, dura & violenta potentia, cædium causa, calamitatis socia, jacturæ, dedecorisque concitatrix, pecuniarum perniciës, & perditionis origo. Et ut Alciatus in suo Emblemate (x) addit, ad nostri veluti lutum alludens:

Lutea cum surgit bilis, crudescit, & atro
Felle dolor; furias excitat indomitas.

Quod sanè, quamvis alia deficerent, Reges, ut valdè ab hoc vitio caverent, excitare deberet, qui sibi præceteris hominibus Serenitatis, Tranquillitatis, Mansuetudinis, Magnanimitatis, & similes alios Titulos arrogat, quos alio (y) in loco recensui, quibus dignus esse non potest, nisi qui, ut cum Claudiano (z) loquar:

Rex sui esse poterit, hosque se dare tumultus.

Et Horatianum (a) illud impleverit, & ob oculos semper haberit:

Ira furor brevis est, animum Rege, qui nisi paret,
Imperat, hunc frenis, hunc te compesce catenis.

12 Certè Cicero (b) hac de causa, iracundiam in Principe, acerbiterque naturæ, cum deformem, tum etiam periculosam esse ait, multa enim injustè peragit, & præcipit. Et Sallustius (c), & si in privatis, qui demissi in obscuro vitam agunt, minus noxiam esse iracundiam concedat, quoniam si quid ejus causa delinquant, pauci sciunt, fama atque fortuna eorum pares sunt. Secus tamen se rem habere inquit in iis: Qui magno Imperio præditi, in excelso ætatem agunt: eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxima fortuna minima licentia est: neque studere, neque odisse, sed minimè irasci debet. Quae apud alios iracundia dicitur, ea in Imperio superbia, atque crudelitas appellatur, &c.

14 Seneca (d) quoque, non Regiæ potentia, sed potius impotentia tribuit: Sine fine concupiscere, sine modo irasci, quod perinde est, ac si diceret, Regiæ dignitati contradicere, eum qui aliis dominatur, sibi dominari non posse, nec sui animi inflatos ira fluctus comperere, cum Ovidio (e) testante:

Quò quisque est major, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mens generosa capit.

15 Et Josephus (f) Judæus, eandem ob causam, Reges admonet, ut iram magno animo compriment, cui vulgares homines in magnis juxta, ac parvis succumbere solent.

16 Unde & Cassiodorus (g) hujus moderationis virtutem inter Regales collocat, inquiens:

Dd 2

Hæc

(t) Claud. in 4. Cons. Honor.
(u) Aristot. apud Stob. serm. 20. de ira.
(x) Alciat. Emb. 63.
(y) Sup. Emb. 8.
(z) Claud. ubi sup.
(a) Horat. lib. 1. epist. 2.

(b) Cicero. in epist. ad Quint. Frat.
(c) Sallust. in Cail. ubi de Cæsaris oratione.
(d) Senec. contr. 42.
(e) Ovid. lib. 3. de Trist. eleg. 5.
(f) Joseph. de bello Judaico.
(g) Cassiod. lib. 10. epist. 4. ad fin.

Hæc est Regalis proculdubio virtus, celerius necessaria sentire, & tardius in verba prorumpere. Nescit enim panitenda loqui, qui proferenda prius suo tradidit examini. Et alibi (b): Furentes iusta non sentiunt, quia dum commoti animo in vindictam sæviunt, rerum temperantiam non requirunt.

17 Et relicti aliis, quæ hanc in rem ex Seneca (i), Plutarcho (k), & aliis (l) uberrimè peti possunt, omitti non debet Franciscus Patricius (m), qui quanta sit iracundiæ culpa, Regibus, vel ex eo pensandum relinquit: *Quod per illam sapientia perditur, ut quid, quovè ordine sit agendum, omnino nesciatur, quia nimirum intelligentiæ lucem ira subtrahit, cum mentem promovendo confundit. Per iram justitia relinquatur, quia dum perturbata mens iudicium sine ratione exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amittitur, quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, ut bestialiter vivat. Per iram mansuetudo amittitur; per iram concordia rumpitur; per iram lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundiæ confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cogitationis abscondit. Per iram Spiritus Sancti splendor excutitur, qui super humilem, & quietum requiescere dicitur, &c.*

18 Quæ omnia haud quaquam latuerunt Alfonso X. Regem nostrum, septem Partiti juris compilatorem, cum tribus (n) in legibus in enarranda iræ natura, diffinitione, ac damnis, latè persistat, & in suis successoribus injungendo, ut ab iis, quantum fieri possit, abstineant præceteris aliis hominibus: *Porque son puestos en lugar de Dios para cumplir la justicia. E esto non podrian hacer acabadamente, si de la ira non se guardasen. E porque debe el Rei sofrirse en la saña fasta que le sea pasada; è quando lo ficere, seguirseleba gran pro, ca podra escoger la verdad, è facer con derecho lo que ficere. E porque la ira del Rei es mas fuerte, è mas dañosa que la de los otros omes, porque la puede mas àima complir; è per ende debe ser mas apercebido, quando la oviere, en saberla sofrir.*

19 Quarum quidem legum doctrina, ultra suprà relata, Jobum, Salomonem, & plura alia Sacra Scripturæ testimonia (o) pro se habet, quibus admonemur, ne nos ab ira possideri, superarivè sinamus, Regesque præsertim, quorum indignatio Nuntius mortis vocatur, idèque à sapienti viro placari debere, consulitur. Ubi Sancti Patres, & alii Expositores plura diffundunt.

20 Sed numquam est oblivioni mandanda celebris illa Ciceronis (p) ad Quintum Fratrem epistola, quam Franciscus Hotomannus suis notis illustravit, & ita laudat, ut dicat, in ea, omnibus Provinciarum gubernatoribus præclaram quamdam Imperii rectè administrandi normam, ac regulam præscripsisse videri. Etenim cum Quintum fratrem, natura ad iracundiam pronum esse cognosceret, sicque animo incitari, ut ab omnibus ejus desideraretur humanitas, ipsum, & in ipso omnes Principes, ac Magistratus, his verbis alloquitur: *Nihil est tam deformè, quàm ad summum Imperium etiam acerbiter naturæ adjungere; quare, cum in eam rationem vitæ nos non tam cupiditas quædam gloriæ, quàm res ipsa, ac fortuna deduxit, ut sempiternus sermo hominum de nobis futurus sit: caveamus quantum efficere, & consequi possimus, ne quod in nobis insigne vitium fuisse dicatur. Neque Ego hoc nunc contendo, quod fortasse cum in omni natura, tum tam in nostra ætate difficile est, mutare animum, & si quid est penitus insitum moribus, id subito evellere. Sed te illud admonéo, ut si hoc plene vitare non potes, quod ante occupatur animum ab iracundiâ, quàm providere ratio potuit, ne occuparetur, te ante compares, quotidieque meditare, resistendum esse iracundiæ: cumque ea maximè animum moveat, tum tibi esse diligentissimè linguam continendam: quæ quidem tibi virtus, non interdum minor videtur, quàm omnino non irasci: nam illud non solum est gravitatis, sed nonnumquam etiam lenitudinis: moderari verò & animo, & orationi, cum sis iratus, aut etiam tacere, & tenere in sua potestate motum animi, & dolorem, & si non est perfectæ sapientiæ, tamen non est mediocri ingenii, &c.*

21 Quæ etiam monita suadere volens Aristoteles Alexandro Magno, illumque ira excandescentem placere, elegantem ad eum epistolam scripsit, quæ apud Ælianum (q) extat, docens inter alia, excandescentiam, & iram, non in meliores, sed in pares existere solere, illi verò neminem esse parem. In quo tamen parum profecit, cum Magnus hic alioquin Imperator, hoc vitio plures aliàs virtutes, ac victorias deturpaverit, ut Valerius (r) Maximus notat, cum ira percitus Lysimachum leoni objecerit, Clytum hasta transfoderit, & Callistenem mori jusserit.

22 Cui exemplo, plura alia similia aliorum Principum ira flagrantium, ejusque causa multa injusta, & perniciofa facientium, ultra ipsum Valerium, Baptista Fulgosus (s), Beyerlin-

(b) Idem lib. 4. epist. 10.

(i) Senec. in lib. de ira.

(k) Plutarco. in Dialog. de cobib. ira.

(l) Saaved. Empres. 8. ex pag. 50.

(m) Patric. de Reg. lib. 4.

(n) L. 9. tit. 5. part. 1.

(o) Job. 36. 18. Proverb. 18. 14. & 16. 14. Eccles. 7.

10. Mart. 2. 22. Ephes. 26. 31. Collos. 3. 8. 1. Timoth. 2.

8. Jacob. 1. 19.

(p) Cicer. lib. 1. epist. 1. ad Quint. Frat. quem valde

commendat Pet. Vict. lib. 2. var. lect. cap. 22.

(q) Ælian. lib. 12. de var. hist.

(r) Valer. lib. 9. cap. 3.

(s) Fulgos. lib. 9. cap. 3. de ira, & odio.

chius (t), & alii (u) subjungunt. Inter quæ, omissa Theodosii irati in Thessalonicenses (x) strage, de qua latius alio loco dicemus, notandum est illud Clotharii, Gallorum Regis, qui Gualtherum Juetoti dominum, sibi quæ antea in cubiculo ministrantem, falsis respersum criminibus, ira percitus, inauditum, seque ad ejus pedes in templo, ea die qua Ecclesia Christi Redemptoris mortem celebrat, cum literis Virgilio Pontificis provolventem, præter modum furore correptus, cum manu sua crudeliter occidit. Quamobrem acerbè à Pontifice reprehensus, cum præterea etiam eum conscientia (id quod persæpe in ira contingit) torqueret, ut pro tanto crimine, quantum fieri poterat, satisfaceret, sicuti nimia ira atque superbia palam deliquerat, ita etiam palam, atque humiliter corrigere errorem voluit, Gualtherumque, & ejus hæredes, ac posteros, item Juetoti urbem, atque agrum, ab omni Gallici Regni Imperio, ac servitute liberavit, quo in jure, & privilegio etiam hodie sub Regni appellatione perdurat, ut præter Fulgosum (y), latius Robertus Guaguinus, Paulus Æmilius, & alii (z) Francicarum rerum Scriptores enarrant.

23 Quæ cum ita se habeant, & ira, ex hac, de qua agimus, animi turbatione, & commotione procedat, meritò Rex noster Alfonso (a) consuluit, *Que procure el Rei sofrirse en su saña.* Nam secundum Senecæ (b), aliorumque doctrinam, maximum ejus remedium est dilatio, ut primus ejus fervor relanguescat, & caligo quæ premit mentem, aut residat, aut minus densa sit. Quædam enim ex iis, quæ nos præcipientes ferunt, hora, non tantum dies, emolliet, quædam ex toto evanescent. Quod, statim Seneca Platonis exemplo probat, à servi flagellatione, quia se iratum senserat, abstinens.

24 Sed congruentius est illud Athenodori Philosophi, à qua profectioem parante, cum Augustus Cæsar petisset, ut aliquod sibi monumentum tanto viro dignum, relinqueret; ille subjecit: *Cum fueris iratus, nihil dixeris fecerisvè, prius, quàm Græcarum literarum XXIV. nomina apud te recensueris.* Sic, ut Plutarchus (c) refert, edocens, ubi laxata affectibus iræ habent fuerint, mox veluti succisis poblitibus, impetum illum compescendum, antequam quid dicatur, vel statuatur, & hac vel tantilla mora, ebullientis animi æstus subsidere solere, prout non minus benè monuit Statius Papinius (d), dum dixit:

— Ne fræna animo perimite calenti.
Da spacium tenuemque moram: malè cuncta minis trat
Impetus.

25 In hac autem temperatione Regibus suadenda, multa quoque prudentia, & temperatione opus est, qui sæpè videmus eos esse Regum animos, ut quamquam iniqui, tamen flecti non liat, juxta illud Tragici (e) in Medæa:

Difficile quàm sit animum ab ira flectere
Jam concitatum, quanque Regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admovit manus,
Quæ cepit ire, Regia didici mea.

26 Unde qui cum illis versantur, Pythagoricum illud observare debent, *Glandio ignem ne fodito*, quo præcepto annuit, potentem ira percitus, non esse severius reprehendum, ut Laertius, & alii apud Erasmum (f) testantur, propterea quòd flamma, quòd magis exagitat, hoc magis, atque magis inalescit. Unde prudentis erit, tempus, & conditionem illius, quem monere velit, attendere, & opportunè, blandè, & reverenter ferocientem lenire, & ad meliorem, ac saniorum mentem reducere. Semper quippè tam in hoc, quàm in aliis illud Ovidii (g) observare debemus,

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas vitia irritesque vetando
Temporibus si non aggrediare suis.

EM-

(t) Lheat. verb. Ira.

(u) Camer. 1. centur. cap. 55.

(x) Cap. cum apud Thessalonicam, leg. si vindicari,

C. de panit. Div. August. lib. 5. de Civit. Dei, cap. 26.

Sozom. hist. Eccles. lib. 7. cap. 14.

(y) Fulg. dist. cap. 3. pag. 302.

(z) Gaguin. Æmilii, & alii in vita Clotharii I.

(a) L. 10. tit. 5. part. 2.

(b) Senec. lib. 3. de ira cap. 12.

(c) Plutarco. in Apophth. Fulgos. lib. 7. cap. 2. Junius

in Embl. 25. pag. 149. in Append.

(d) Pagin. 8. Thebaid.

(e) Senec. in Med.

(f) Erasm. in Adag. pag. 439. Boissard. Embl. 27.

quem vide.

(g) Ovid. de Remed. amor. lib. 1.